Levita, Doctor inſignis, & Martyr invictus. Felix quod docuit, & fecit! Magnus erit in regno, quod ſibi comparavit in terris Deus ſanguine Filii ſui, & magnus in regno æterno, ubi ſubditi omnes ſunt Reges; *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* (*Matth.* 5.) *Auctor recens.*

Deſcriptio plenitudinis gratiæ, quam S. Stephanus poſſidebat; ac aliarũ virtutum Sancti hujus.

Eximiæ Spiritus, & corporis dotes, virtus ipſa, quæ ſimul invidiam repellere deberent, nonniſi commune ſunt ejuſdem objectum. Videtis in S. Stephanum, quidquid mortalium amorem conciliare poteſt, invidiam immo, & odium accendere, nobilis anima, decorus corporis habitus, generoſa indoles, ingenium ſuave, & beneficum, gratiæ plenitudo, quæ naturalem ejus ſpeciem tanquam angelicæ ſimilem reddebat, ac ſpiritum ipſum fidei luminibus illuſtrabat. Quæ in ſermone ſuavitas! quis in pauperum miniſterio zelus! quæ erga Apoſtolos docilitas! Omnia in eo loquebantur; ubique, rebuſque in omnibus erat bonus odor Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ. Virtus in illo ſcientiam ornabat, & ſcientia virtuti facem præferebat, nitebat, atque movebat. Hæc imago eſt cordis Sancti hujus Levitæ. Excita, Domine, excita in Eccleſia tua ſancta Levitas ejuſdem fervoris; gratia tua, & S. Stephani exemplum quod opus eſt gratiæ tuæ, in iis omnibus, qui tibi conſecrati ſunt, operetur, ut per horum miniſtrorum virtutem grex ipſe ſanctificetur: *Pro eis ſanctifico me ipſum.* (*Joann.* 17.) *Sermo manuſcriptus.*

Sancti in iracundia ſua exẽplũ habent in S. Stephano. Ita hæc eſt zelus Sanctus.

Jeſus Chriſtus contra Jeroſolymitani templi prophanatores iratus, numquid amiſit illum ſuavitatis characterem, ex quo etiam Meſſias erat dignoſcendus; & de quo ſcriptum eſt: *Linum fumigans non extinguet, arundinem quaſſatum non confringet.* (*Matth.* 12.) Nunquid S. Stephanus abjecit hunc ſuavitatis characterem a plenitudine gratiæ, qua Deus illum prævenerat, individuum? Intelligamus ergo non deeſſe ſanctam iracundiam; & cum videmus, audimuſque S. Stephanum duriuſcule, & ignita facie cum Judæis loquentem, dicamus cum S. Auguſtino, S. Stephanum iraſci columbæ inſtar, cui fel non eſt; Medicum eſſe, qui ignita remedia ægrotantium artubus admovet, ut medeatur. Ignita illa verba ſignificabant dolorem, quo affectus erat, videns eos in miſerrimo ſtatu poſitos, non autem aliquem impetum iracundiæ. Lingua ejus clamabat, & corripiebat, S. Auguſtinus ait, ſed cor diligebat, ac mens in id unum erat intenta, ut pro illis miſericordiam precibus enixis conſequeretur; Eccleſia enim precibus illius Pauli converſionem refert acceptam. *Niſi Stephanus oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Idem.*

Comparatio inter extremas circumſtãtias vitæ J. C. & S. Stephani.

S. Stephanus tanquam victima extra urbem raptus nobis exhibet Jeſum Chriſtum extra urbis illius homicidæ mœnia ductum, tanquam agnum, qui coram deducentibus ſe ad lanium obmuteſcit. Diſcipulus Martyrium ſubiit, tamquam blaſphemus obrutus lapidibus: ſupplicium in Lege perſpicuum. Magiſter ſublatus in Crucem fuit, quod prophetæ futurum portenderant, & inter latrones permixtus. Omnia fere ex æquo ſibi reſpondent famulum inter ac Dominum; hoc erat primum exemplum ex eodem autographo ad unguem expreſſum. Et ſane hic milites Jeſu Chriſti veſtimenta ſibi partiuntur; ibi teſtes ſecundum Legis præceptum ſe ſuis veſtibus exuunt, eaſque deponunt ſecus pedes adoleſcentis, qui Saulus appellabatur æque inſignis propter negotium, quod Eccleſiæ faceſſere accepit, ac propter pœnas, quas ipſe etiam pio eadem pertulit; lapidans S. Stephanum manu eorum omnium, quorum indumenta ſervabat, quemadmodum poſtea Deum amavit, per amorem omnium eorum, quos peperit Jeſu Chriſto. S. Stephanus, uti Jeſus ſuum Deo ſpiritum commendat, extremumque emittit anhelitum, ut Jeſus pro ſuis carnificibus orans. *Auctor recens.*

Comparatio orationis factæ & a J. C. in Cruce, & a S. Stephano in martyrio ſuo.

*Clamavit voce magna dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* (*Act.* 7.) Jeſus Chriſtus in cruce tantum edidit clamorem, ut propter orationis ſuæ vim fuerit exauditus: *Exauditus eſt cum clamore valido.* S. Stephanus fidelis imitator Magiſtri ſui, ut ille, validum clamorem emittit, ut oratio ſua Cælos penetraret: *Clamavit voce magna.* Jeſus Chriſtus nihil liberum habebat præter linguam. Pedes, manuſque ſuæ clavis erant confixæ; linguam igitur adhibuit ut clamorem ederet apud Æternum Patrem validiorem, quam Judæorum ſcelus, quod non ſecus ac Sodomorum crimen de terra in Cælum clamabat. S. Stephanus nihil liberum habebat præter linguam; colligit autem quidquid illi ſupereſt virium, ut magnum clamorem emittat, ac ferventi oratione ſua deprecatur pro Judæorum ſcelere, qui hac cæde menſuram patrum ſuorum cumulabant. Jeſus Chriſtus de Cruce pro inimicis orans clamavit, illis noviſſima vitæ ſuæ momenta conſecrans, ut teſtatum faceret, quod ſi per eorum manus mortem ſubibat, illam quoque pro eorum ſalute patiebatur. S. Stephanus ſentiens corporis ſui diſſolutionem, cujus cauſſa erat Judæorum duritia, magnum edit clamorem pro illis orans, ut extremum illud ſuſpirium monumentum Judæis, ſimulque fidelibus eſſet, pro amicis, ſimulque pro inimicis ſuis eſſe moriendum. *Auctor recens.*

Omnis antiquitas S. Stephani laudes celebravit.

Nonne antiquitas omnis glorioſi hujus martyris laudes celebravit? Eccleſia vix nata, lacrimis ſuis: *Fecerunt planctum magnum ſuper eum:* (*Act.* 7.) S. Irenæus illum calamo ſuo extollit veluti illum, qui primus Jeſu Chriſto glorioſum divinitatis teſtimonium perhibuit, ſanguinemque ſuum cum Salvatoris ſui ſanguine miſcuit. S. Maximus Tyrius, & S. Gregorius Nyſſenus nonne illum ad Apoſtolorum, Prophetarumque ordinem evehunt, affirmantes, ipſum tempore martyrii ſui eos præceſſiſſe, qui tamquam Magiſtri Apoſtolatus dignitate ei præcedebant? Denique S. Auguſtinus paſſim in operibus ſuis infinitis proſequitur laudibus glorioſum hunc Diaconum, ac ſe beatum exiſtimat, quod in Hypponenſi Eccleſia ſua ejus reliquias haberet. *Auctor recens.*

Undenam fit, quod narratio vitæ S. Stephani in cordibus noſtris non eoſdem affectus ciet, quos olim in fidelibus Eccleſiarum Vzale, & Calame? Inde quia de ſuggeſtu ibi oſtendebantur illi, quos lapides illius curaverant, & qui tactu ſacrorum S. Stephani cinerum convaluerant; cum interim populus, qui hinc aderat ſpectaculo, lacrimas effundebat. Nullum cor adeo durum eſt, quod ſinceræ pietatis motu non afficeretur; Miraculorum lectio feſtivis clamoribus interpellabatur, qui ſuccreſcebant ad eorum adſpectum, qui priſtinæ redditi erant incolumitati. Ita cor & iis, quæ videbat, & iis, quæ audiebat commotum flammis divini amoris flagrabat. In præſentiarum autem admirabilis miraculorum, quæ operati ſunt numerus, nobis non aliud ſunt quam ſapore carens hiſtoria, quæ cor reddit inſulſum, quia frigeſcit fides, caritas languet, æterna præmia nullam in nobis cient impreſſionem, & nos non accedimus in partem meritorum, quibus Sancti uberrime abundant. *Recens Auctor.*

S. Stephanus nos docet quid agendum ubi ſimul concurrunt, quæ ad Deũ, quæ ad proximũ, & quæ ad nos ipſos pertinent.

Tria ſunt, quæ omnes fere civilis & Chriſtianæ ſocietatis ſtatus regunt. Sunt quæ ad Deum, quæ ad homines, & quæ ad nos ipſos pertinent. Quæ pertinent ad Deum pretioſiſſima eſſe debent, & quæcumque ſuſtinenda ſit perſecutio, perferenda certe eſt, potius quam muneris noſtri obliviſcamur. Quæ ad homines ſpectant, nos etiam debent afficere, ſed quouſque affectus hic procedere debeat, hoc ipſi ſtatuere non poſſumus, niſi dixerimus, quod omnia propter Deum facere debentes, tenemur nobiſmetipſis abrenunciare, ac noſtrum metipſorum obliviſci. Homo autem quid? Omnem zelum ſuum exercet in inimicos ſuos, qui terrenis illius officiunt negotiis, ea vero, quæ Dei ſunt, nullo habet in diſcrimine? Malum, quod non caret exemplis, quippe effuſum eſt in omnes conditiones; ſed malum quod admirabili S. Stephani facto damnatur. Sanctus hic Martyr in Judæis duplex habet inimicorum genus, cum quibus decertet, Jeſu Chriſti videlicet inimicos, & ſuos; ſed ad illos impugnandos longe aliam a nobis ſequitur viam. Pati nequit, Deum ab inimicis lædi, atque in illos exercet quidquid habet zeli; cum ſuis autem inimicis, omnium obliviſcitur injuriarum, eoſque ſumma proſequitur benevolentia. O admirabile Chriſtianis omnibus exemplum! *Auctor recens.*

S. Stephanus quatenus Protomartyr. quãdam habuit ſpeciẽ influxus in eos omnes, qui illũ ſubſecuti ſunt reo eorum factus exẽplar illis fortitudinẽ ac patientiam inſpiravit.

S. Stephanus quatenus Martyrum princeps, non ſolum quamdam ſuper ceteros habere debet præeminentem dignitatem, ſed præterea quemdam veluti influxum in eos omnes, qui eum ſecuti ſunt; cum enim Deus quempiam eligit, ut illum ordinis, vel ſpectabilis corporis alicujus Caput conſtituat, conſuevit in hoc homine complecti Spiritum, qui in hoc Ordine regnaturus eſt; eumque proponere tamquam virtutis exemplum ceteris imitandum. Quæ igitur, quæſo, eſſe dicenda eſt virtus ac S. Stephani generoſitas, quem elegit Deus tot Martyrum millibus præficiendum? Omnes ſtrenui viri ſunt, & Heroes: ſed quodnam illorum caput eſſe debet, ut hunc Martyrii ſpiritum in corda illorum infundat, eiſque immittat conſtantiam, atque fortitudinem, exemplo quod illi ſuppeditavit! Profecto ſi Tertullianus olim dixit, ſanguinem Martyrum ſemen eſſe Chriſtianorum, alii enim exemplis eorum animabantur, qui videntes eos inter crudeliſſimas pœnas tanta deliciarum copia perfundi, arguebant, Religionem hanc unicam veram eſſe: *Semen Chriſtianorum ſanguis Martyrum:* nonne dicere poſſumus, S. Stephani ſanguinem non ſolum ſemen fuiſſe plurimorum Fidelium, verum etiam Martyrum omnium, & caput uberem habuiſſe influxum in corpus univerſum, quandoquidem exemplo ejus, & poſt eum reliqui paſſi ſunt? Hic eſt veluti ſtrenuus copiarum Imperator, cui victoriæ laus duplici titulo deberetur; primum quidem quod alii illo duce, & auſpice in prælium deſcendiſſent; amplius dico. Si Martyribus peculiariter acceptum referre debemus Eccleſiæ fundamentum, hoc referendum eſt lapidibus, quibus ipſe obrutus fuit, & qui hujus ædificii ſunt fundamentum, deinde vero reliquos Martyres, qui illum imitati ſunt, mortem non contempſiſſe, niſi poſtquam S. Stephanus de eadem triumphum retulerat. *Auctor recens.*

PRO



# PRO S. JOANNIS EVANGELISTÆ PANEGYRICO.

## MONITUM.

*Timendum non eſt Panegyricam S. Joannis orationem elucubrantibus copiam defuturam. Dignitas Diſcipuli, & Apoſtoli Jeſu Chriſti: relationes, quæ inter hunc & Dei Filium, ſanctamque Matrem hujus interceſſerunt; opella, quam utrique præſtitit; gratiæ, quibus ab iiſdem fuit cumulatus; ejus innocentia, puritas, fidelitas, zelus, labores, verba, quidquid egit, paſſus eſt, & ſcripſit pro divini Magiſtri gloria, uberrimam ſuppeditare poteſt verum copiam pluribus ſermonibus in Sancti hujus honorem, qui in ſe uno aliorum ſanctorum gratias, privilegia, & prærogativas complexus eſt. Quam ob rem in argumento adeo late patenti delectum habere conatus ſum eorum, quæ Patres, Interpretes, & Concionatores dixere Eccleſiaſtico quidem ſuggeſtui accommodatius, Auditoribus autem utilius.*

*Illud autem hoc in Elogio præſtantiſſimum eſt, quod Scriptura nobis ſuggerit quidquid ad illud concinnandum requiritur; & quod Sancti Patres atque Theologi ea aſſerunt omnia, quæ maxime glorioſa in laudem ejus poſſunt afferri. Quædam tantum adſunt quæſtiones de illius morte, & reſurrectione, ubi nonniſi conjecturas licet afferre, quibus ne quis diutius immoretur ſuadeo; cum potius ſententia mea inſiſtendum ſit in virtutibus ac modis, quibus Filii Dei amicitiam ac neceſſitudinem ſibi comparavit, qua in re illum poſſumus imitari.*

### PARAGRAPHUS PRIMUS.

*Multiplex Sermonum hujus Argumenti ſtructura.*

I. PRæſtantiſſima S. Joannis dignitas recenſetur, fuiſſe dilectum J. Chriſti diſcipulum; ſuoque exemplo docuiſſe, qua ratione in præclari hujus boni partem accedere valeamus. Principum virorum favor ut plurimum triplici malo eſt obnoxius; Injuſtus eſt ex parte dantis, ſuperbus, ac non ferendus ex parte poſſidentis, odioſus vero iis, qui eundem aſſequi non valent. Sed favor inſignis, quo J. Chriſtus S. Joannem dignatus eſt, tres habet prorſus oppoſitos characteres. Perfecte juſtus fuit in delectu, quem habuit J. Chriſtus hujus Apoſtoli; Pars prima. Solide humilis fuit in modo, quo Apoſtolus eodem uſus eſt; Pars altera. Nullamque peperit invidiam in reliquis Diſcipulis, quibus hic Apoſtolus prælatus fuiſſe videtur; Pars tertia.

Pars Prima. Favor perfecte juſtus in electione S. Joannis facta a Deo. 1. Quia Apoſtolus hic virgo fuit. 2. Quia in tentatione fidelis fuit J. C. 1. Virgo fuit; & quis neſcit quantopere placeat Virginitas J. C., qui eadem puritas eſt? Cum ergo voluerit Salvator in terris Matrem habere Virginem, non miramur, ſi dilectum in terris diſcipulum virginem habere voluerit, & hunc in ſinu illius recubuiſſe. 2. In tentatione fidelis fuit J. C.. Hominem Deum hunc reliqui Apoſtoli reliquerunt. At S. Joannes illum uſque ad Calvarium ſubſecutus eſt; ideoque Deus iſte Salvator Matrem ſuam illi commendavit. Ita J. Chriſti favorem merebimur ſeu per animæ, corporiſque puritatem, ſeu per conſtantiam in adverſitatibus, & ærumnis.

Pars altera. Favor ſolide humilis, & beneficus in modo, quo S. Joannes eodem uſus eſt. 1. Humilis ſi ſpectetur in ipſo; 2. beneficus, ſi in nobis conſideretur. Quidnam de ſe ipſo loquitur in Evangelio? Se nunquam ex nomine vocat; *hic eſt diſcipulus* inquit ille ſemper, quaſi de altero quopiam loqueretur. Si dixiſſet, hic ille diſcipulus eſt, qui diligebat Jeſum, ſuum hac in re meritum oſtentaſſet: ſed ait, *hic eſt Diſcipulus quem Jeſus diligebat.* Amari autem nulla eſt laus, meritum nullum. Cum vero alibi ſe nominavit, hoc dumtaxat fecit, ut ſe noſtrum fratrem vocaret: *Joannes frater veſter.* 2. Beneficus, & utilis nobis. Si Joannes omnia J. Chriſti ſecreta ſcrutatus eſt, ideo illa ſcrutatus eſt, ut ea nobis communicaret. Illi acceptam referre debemus divinarum Perſonarum cognitionem, nec non altiſſima Religionis noſtræ myſteria. Hæc ratio eſt, qua & ipſi Cæleſtibus gratiis uti debemus. Illas cum humilitate recipiamus, neque inde gloriam aucupemur. Illas proximis communicemus, eaſque in eorum utilitatem exerceamus. Exempli gratia; divites ſumus, pauperibus opitulemur &c.

Pars tertia. Favor, qui nullam peperit invidiam in reliquis diſcipulis, quibus S. Joannes prælatus fuiſſe videtur; quia hic illum nequaquam exemit magis, quam ceteros a neceſſitate bibendi Calicis J. Chriſti, ac patiendi; cum enim reliqui unum pertulerint Martyrium, ipſe tria pertulit, primum in Calvario, alterum Romæ, tertium in exſilio. 1. In calvario, & hoc fuit ſui cordis martyrium. Quid non patiebatur videns Magiſtrum, Dominumque ſuum animam efflantem? 2. Romæ, & hoc fuit ſanguinis Martyrium. Quod enim ſæviſſimi martyrii genus eſt ſenſim in fervens oleum immergi? 3. In exſilio, ubi mortuus eſt. Ita Deus electos ſuos diligit, nec ſperemus, nos aliter ab illo amatum iri. Omnes paſſionum calicem bibimus; ſed quotnam illum bibunt reprobi, qui illum haurire deberent tamquam Dei amici & electi? *P. Bourdaloue.*

II. Cogitate, ſi vobis lubet, quanta felicitatis origo fuerit dilecto huic diſcipulo, fuiſſe Filii Dei neceſſarium. Ad id ſupponendum eſt amicitiam, cum quoddam ſit compoſitum exiſtimationis, amoris, & benevolentiæ, qua ſeſe invicem amici proſequuntur, hinc ſequi, mentem, cor, & voluntatem conſentire debere in electione illius, quocum initur fœdus amicitiæ. Mens ut ibi reperiat merita, unde fit, ut familiaritas omnis ei permittatur, & cogitationes ipſæ, atque maximi momenti ſecreta ei committantur; cor ut nobiſmet ſecreto ſtudio complaceamus, unde fit, ut illi adhæreamus, eidem totam affectionem impendamus; voluntas denique, ut illi bona velimus, & procuremus per effuſionem quamdam, quæ efficit ut omnia ſint inter amicos communia. Triplici verbo: cum familiaritas, amor, & beneficia ſint munera præcipua, non ſecus ac certiſſima ſinceræ neceſſitudinis argumenta, hujus exemplum intuemur in dilectione, qua Dei Filius S. Joannem proſecutus eſt, & in vice, qua mutuo dilectus iſte diſcipulus illi rependit. *Auctor ſermonem in omnia argumenta.*

A ſuo Rege amari, ejuſque ſibi benevolentiam promereri III.
effectus eſt perfectionum ſubditi ac nobilium affectionum Principis. Sed amari a Deo, fieri ejuſdem amicum, & dilectum, hæc ſolida eſt animæ Chriſtianæ beatitudo. Juſti omnes hoc fruuntur bono; Jeſus Chriſtus delicias ſuas eſſe ait, habitare cum filiis hominum: & quæcumque animæ in Dei gratia verſantur, in ejus oculis ſunt amoris, & oblectationis objecta. Sunt tamen, quos peculiari dilectione complectitur, ut ad altiorem perfectionis gradum illos attollat. Hos autem inter beatos J. Chriſti amicos, nemo eſt, quem apertius dignatus fuerit glorioſo hoc nomine, niſi S. Joannes Evangeliſta; etenim in ipſo Evangelio vocatur, *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus.* Qui vere diligunt ſemper ad largiendum proni ſunt, quin in beneficiis ſuis modum ſervent; cum enim ſemel cor ſuum dederint, quo nihil pretioſius eſt, nil habent, quod ſibi reſervent. Ita J. Chriſti erga diſcipulum ſuum munificentia par fuit amoris ſui magnitudini. 1. dedit illi cor ſuum. 2. dedit illi Matrem ſuam: 3. dedit illi Crucem ſuam. Cor ejus omnes amoris theſauros cupiebat; Mater ejus erat perfectionum omnium abyſſus: Crux ejus erat fons omnium gratiarum. Quid majus dare poterat, quid excellentius, quid pretioſius amico? Illum facit omnium cordis ſui ſecretorum conſcium: illum facit Filium adoptivum ſuæ ſanctiſſimæ Genitricis: illum facit ſuæ crucis participem. *In Specimine Panegyricarum orationum.*

Spiritus ſanctus non uno tantum modo ſeſe communicat IV.
membris, quæ myſticum J. Chriſti corpus componunt, illis ſuas dividit gratias, inquit Apoſtolus, eoſque ad diverſa vocat miniſteria: *Diviſiones gratiarum ſunt, diviſiones miniſtrationum ſunt.* (1. *Cor.* 11.) Sed hic Sanctus eſt, in quo Deus omnes complexus eſt perfectiones, quas in aliis partitus eſt. In S. Joanne miramur Prophetæ lumen, zelum Apoſtoli & Evangeliſtæ, Confeſſoris fortitudinem, Virginis puritatem, caritatem Martyris. Verbo: Spiritus ſanctus in anima ejus collegit virtutes, & gratias Sanctorum, qui in veteri Teſtamento illum præceſſerunt, & qui in novo illum ſequentur. Nihilominus omnia quæcumque ad magni Sancti hujus gloriam pertinent, ad tria potiſſimum capita redigamus: Fuit Evangeliſta, Apoſtolus, Diſcipulus J. Chriſti. 1. Quatenus Evangeliſta eſt veritatis oraculum; 2. Quatenus Apoſtolus eſt fidelitatis exemplum; 3. Quatenus diſcipulus J. fuit exemplum Caritatis. *Ibidem.*

Deus ſemper eos prævenit, quorum corda ſtudet attrahe- V.
re. Prævenit illos in benedictionibus dulcedinis: & prior ſemper amat; ſed vult etiam homines viciſſim amori ſuo reſpondere. Deus eſt zelotes, qui pati nequit diviſionem in corde, & vult homines ſeſe totos ſine ulla exceptione devovere, quemadmodum ipſe etiam totum ſe tradit illis. Itaque cum ſumma S. Joannis gloria ſit, peculiariter dilectum fuiſſe a Salvatore, ita meritum illius eſt, peculiariter Salvatorem hunc dilexiſſe: ita ut ad magni Sancti hujus elogium concinnandum, oſtendendum eſt hunc fuiſſe diſcipulum. 1. quem Jeſus præ ceteris magis dilexerit; 2. & qui magis dilexerit Jeſum. *Ibidem.*

Scio equidem artis politicæ gnaros in hac quæſtione abire VI.
in diverſa: Utrum videlicet rationabilius ſit, ac Reipublicæ utilius, Principem ſuos habere neceſſarios: Sed quin in hac immoremur quæſtione, quæ æque periculoſa eſt, atque inutilis, citra ullum detrimentum ejus obſervantiæ, quæ ſæculi monar-

this debetur, dicere poſſum, Dei proprium eſſe ſuos habere familiariſſimos. Hos autem habere poteſt, quia omnium affectuum ipſorum eſt arbiter. 2. Quia a nemine pendet in bonorum ſuorum diſpoſitione; 3. quia ille unus eſt, qui vere magnos efficere poſſit. Verum quin diutius eas ſcrutemur prærogativas, quas obtinet Deus ut ſibi ſuos conciliet amicos, videamus quomodo ſe gerat cum S. Joanne, qui antonomaſtice Dilectus J. C. vocatur, & ut æquius feratur judicium, ſequamur regulas a S. Bernardo traditas, qui docet hunc favoris amorem eſſe.

1. Tenerum,
2. Sapientem,
3. Generoſum.

Hic amor J. erga S. Joannem tener eſt, quia huic ſuum tradit: ſapiens eſt, quia illi ſapientiam prorſus divinam communicat: generoſus eſt, quia illi robur, invictamque præbet fortitudinem. Hic amor J. tener eſt, quia efficit, ut S. Joannes ſuper cor ejus recumbat: ſapiens eſt, quia aperit illi ſublimiorum fidei myſteriorum intellectum: generoſus eſt, quia illum ſecum ſuper Calvarium adduxit. Favor tener, favor ſapiens, favor generoſus, quæ tres erunt partes Orationis. *P. Texier in Panegyrico S. Joannis.*

VII. Mirum eſſe non debet ſi S. Joannes tantopere oblectatur, dilectum J. ſe nominans, & ſi hanc appetit præ tot aliis, quamvis præſtantiſſimis prærogativis præferri. Gloria & amor ejus, utraque ibi votorum ſuorum ſummam inveniunt; nihil enim glorioſius eſt, quam Regis ſui eſſe neceſſarium; & nihil optatius eſt, cordi tenere amanti, quam ab eo, quem amat, redamari. Itaque reliquis omnibus prætermiſſis ampliſſimis nominibus, Doctoris, Virginis, primi Epheſini Epiſcopi, Evangeliſtæ, Apoſtoli, Fundatoris, ac Præſidis plerarumque Aſiæ Eccleſiarum; hic unus titulus dilecti J. ſatis mihi eſt ad Sancti hujus adornandum elogium; hujus enim meritum reliquis omnibus caliginem offundit. Sed ut hunc præclarum titulum celebremus, videamus quo pacto Sanctus noſter eidem reſponderit. Parum eſſet gloriæ S. Joannis aſſerere ipſum a J. tenere amatum fuiſſe; ad omnia ob oculos ponenda, quæ gloriam illius poſſunt amplificare, dicendum eſt etiam, Jeſum a S. Joanne tenere dilectum fuiſſe. Parum eſſet aſſerere illum a J. dilectum fuiſſe, ut eſſet ſuæ prædilectionis objectum, niſi ſimul etiam affirmaretur, ipſum perfectiſſime electioni huic reſpondiſſe. Multum eſt dicere, Jeſum Chriſtum reliquis Diſcipulis, ſuis prætuliſſe Joannem: *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus*; ſed prælationi huic male relata fuiſſet gratia, niſi Joannes omnem prælationem, dilectionemque ſuam J. impendiſſet. In hac autem mutua prælatione dilectionis, & J., & Joannis maximum gloriæ Diſcipuli hujus apicem conſtituo.

Oſtendam 1. hanc ex omnibus diſcipulis maxime a J. fuiſſe dilectum; & præ ceteris etiam dilexiſſe.

2. Huic Jeſum prælationem amoris ſui dediſſe, & hanc dediſſe J. ſui prælationem. Verbo: Elogii ſui ſumma hæc eſt fuiſſe dilectum J., & Jeſum viciſſim dilectum ejus fuiſſe. Ut autem mutua hæc benevolentia quanta eſt, plane innoteſcat, animadvertendum eſt amorem J. erga Joannem e tribus glorioſis privilegiis illi conceſſis innotuiſſe.

1. Per familiaritatem, qua illi ſecretiſſima ſua commiſit ſecreta. 2. Per favorem, quo illi propriam perſonam commendavit uſque ad Crucem. 3. Per hereditatem, quam illi legavit teſtamento eidem commendans ſuam ſanctiſſimam Matrem, & hanc orans, ut in Filium reciperet. Hæc ſane præclara ſunt amoris J. Chriſti argumenta: verum etiam animadvertite Joannem tribus hiſce privilegiis, tribus aliis admirabilibus qualitatibus reſpondiſſe. Qualitati dilecti J. diſcreto zelo; qualitati familiariſſimi ejuſdem, adhæſione inviolabili; qualitati ſolius heredis J., merito fere infinito, quod illum dignum effecit, qui adoptivus Mariæ filius appellaretur. Ecce tres ſententiæ ad dilecti diſcipuli gloriam collectæ, quæ totum ſermonis hujus argumentum conſtituent. 1. S. Joannes fuit diſcretus omnium ſecretorum J. particeps: Punctum primum. 2. fuit dilectus cordis J.: Punctum alterum. 3. Fuit dignus heres J. Chriſti, & adoptivus Mariæ Filius: Punctum Tertium. *Auctor Recens.*

VIII. Videtur Salvator in S. Joannis perſona omnes collegiſſe gratias, quas inter alios Sanctos diviſerat. Etenim S. Joannes ad Apoſtolatum evocatus fuit, ut S. Petrus; Evangeliſtæ dignitate decoratus, ut S. Matthæus; ad Martyrii lauream evectus, ut S. Stephanus; & Virginis laude diſtinctus, ut S. Paulus: ita ut nihil magnum, nihil illuſtre in omnibus Sanctis inveniatur, quod in hoc minime eniteat. Verum ne putetis ejus Panegyricum ita eſſe numeris omnibus abſolutum, ut nihil addi poſſit illius magnitudini, & ut ipſe Dominus, ac Magiſter cujus erat dilectus diſcipulus recentes illi gratias conferre minime poſſit; etenim illas attigit ſolum, quæ eidem ſunt cum aliis Sanctis communes. Nondum locutus ſum de illius privilegiis, de quibus ut vobis aliquid peculiare dicam, vobis oſtendam opus eſt:

1. Ipſum inter Evangeliſtas eſſe illuminatiſſimum.
2. Inter Apoſtolos ac Diſcipulos dilectiſſimum.
3. Inter Martyres afflictiſſimum.
4. Inter Virgines ampliſſima mercede locupletatum. *P. Senault Presbyter Oratorii.*

IX. Dei Filius tot contulit gratias S. Joanni, tot tantiſque illum cumulavit privilegiis, ut hæc ſatis ſit perpendere, ut nobis perſuaſum ſit Philoſophos Ethnicos quam longiſſime aberraſſe, cum dixerunt nullam Deum inter, & homines haberi poſſe neceſſitudinem. Ut opinionis hujus falſitas liquido innoteſcat, ſatis eſt omnia inſpicere amicitiæ argumenta, quæ Dei Filius S. Joanni præbuit, & quot favoribus illum cumulavit. Quæ omnia ad duo capita referri poſſunt, quæ utramque ſermonis hujus partem explebunt.

Primum videbitis illum omnes gratuitas gratias recepiſſe, & favores omnes, qui unquam communicati fuerunt Sanctis aliis, huic cum aliquo ſingularitatis jure, atque præeminentia fuiſſe collatos.

Secundo vobis oſtendam gratias, & favores omnes qui huic uni, non aliis conceſſi fuerunt. Hoc paucis totius ſermonis argumentum eſt, quod pietatem veſtram morari poterit. *P. Odet Dalier.*

Amicitia, S. Ambroſius inquit, docet æqualitatem: nullum patitur gradum, propter quem intepeſcat; omnis ſuperioritatis ſpecies abjicienda eſt, ut quis præclaris illius qualitatibus ſe parem præſtet. Poteratne Salvator ſe æqualem facere Joanni? Poteratne Joannem ſibi facere æqualem? Hoc minime poterat. Fieri quod erat diſcipulus ſuus? Non poterat; facere diſcipulum ſuum id, quod erat ipſe? ne hoc quidem poterat. Amicitia tamen pares aut invenit, aut facit. Fecit, ut deſcenderet Magiſter, ſimulque ut diſcipulus aſcenderet. Igitur in prima hujus elogii parte oſtendam quomodo Jeſus Chriſtus ſeſe uſque ad S. Joannem demiſit; in altera vero quomodo S. Joannem ad ſe uſque elevavit. X.

1. Se ipſum demiſit per eos amoris ſenſus, quos amico ſuo teſtatus eſt.

2. Amicum ſuum elevavit gratiis, quibus eum cumulavit, quod totum eſt, quod mihi propoſui, argumentum.

Deus ad arbitrium ſuum bona ſua, & dividit, & colligit, Aliis enim dat Prophetiæ donum, aliis Apoſtolorum meritum, XI.
aliis Evangeliſtæ dignitatem; ſed in Sancto Joanne ea, quæ præſtantiſſima ſunt colligit, ut ex eo peculiare vas electionis fiat. Itaque in S. hoc Apoſtolo videmus.

1. Ipſum fuiſſe veritatis oraculum quatenus Evangeliſtam:

2. Exemplum fidelitatis in munere ſuo obeundo quatenus Apoſtolum:

3. Exemplum Caritatis, quatenus J. C. diſcipulum.

Quantumvis obiter perſtringamus dona, & gratias quas S. XII.
Joanni contulit Deus, facile erit cognoſcere.

1. Ipſum omnia Prophetarum lumina per divinas revelationes habuiſſe, quæ abditiſſima in futuris ſecretis myſteria nobis aperuerunt.

2. Habuiſſe Virginum puritatem, qua ita excelluit, ut ex S. Hieronymi ſententia hac potius, qua reliquis, virtute J. C. amorem ſibi conciliaverit.

3. Martyris generoſitatem, ad exemplum Magiſtri ſui oblatum ſibi calicem hauriendo.

Tres connotare poſſumus titulos inter alios plurimos, qui non ſinunt nos ambigere, quominus in dilecto diſcipulo omnia ſupernaturalia ſint, atque divina. XIII.

Horum titulus primus eſt, illum fuiſſe dilectum J. dicipulum.

Alter, fuiſſe dilectum Mariæ Filium.

Tertius, fuiſſe diſcipulum, qui præ ceteris maxime Jeſum, & Mariam dilexit.

Ne putetis me, quia Sancti Joannis elogium in uno hoc facto concludam, aliquid de ejus gloria deterere. Adeo ſtrenue ſeſe obtulit ad hauriendum calicem eumdem, quem Magiſter ſuus hauſerat; quamvis Martyrium ejus mors ſubſecuta non fuerit, ut ejus Martyrium conſiderans, pulcherrimum vitæ illius factum vobis proponam, idque duplici ex cauſſa, quæ illius elogium partietur. XIV. De Martyrio S. Joannis ante Portam Latinam.

Prima eſt, quia Salvator nunquam apertius dilecto huic Diſcipulo amorem ſuum teſtatus eſt, quam cum illi Martyrii honorem procuravit.

Altera eſt, quia S. Joannes numquam melius eum oſtendit amorem, quo Salvatorem ſuum diligebat, quam cum ſe obtulit ferendo crudele illud tormentum propter amorem ipſius.

Non ſatis innoteſcit, cur S. Joannes de ſe loquens fere numquam in Evangelio ſuum nomen expreſſerit. Aliis hoc modeſtiæ cauſſa factum putant; alii hoc acceptum referunt amori, quo divinum Magiſtrum ſuum proſequebatur, ac humili grati animi ſenſui erga tot beneficia, quibus fuerat cumulatus. Namque cum ſe vocat Dilectum Jeſu diſcipulum, palam profitetur, ſe per ſe nihilum eſſe; omnemque gloriam, ac dignitatem ſuam acceptam referendam eſſe J. C., atque ſe quamcumque aliam abdicare qualitatem præter eam, qua Diſcipulus J. C. conſtituebatur, nolens ne ſui quidem nominis memoriam retinere. Quomodocumque hæc ſe habeant, invenio magnum hunc Sanctum ſuum ſibi elogium concinnaſſe, cum actum humilitatis elicere cogitaret, & dum ſe oculis mortalium ſtudebat abſcondere; factum fuiſſe objectum, quod omnia creata ſuſpicerent. Ita eſt, magne Apoſtole, hic unus titulus te dignus eſt. Vocare poſſemus te Filium tonitrui, Evangeliſtarum Aquilam, Verbi Theologum, novi Teſtamenti Prophetam, Eccleſiarum Patrem, Spiritus Sancti Oraculum, Hæreſum triumphatorem, infidelitatis Domitorem, Chriſtianiſmi Columen, miraculorum opificem, & quod his omnibus præſtat Mariæ Filium. Sed pretioſa qualitas dilecti Diſcipuli Jeſu unice gloriam tuam debet ſtatuere, quia tibi jus eſt ſpecioſiſſimum nomen hoc vindicandi; XV.

Nemo



Nemo de hoc tecum audet contendere; verum fortaſſe poſſit aliquis dubitare, utrum illud meritus fueris, & an æque dignus habearis, ut illud appetere poſſes, ac felix fuiſti, ut illud poſſideres.

Sed ut revertamur ad inæſtimabiles prærogativas, quibus dilectus iſte Diſcipulus, vel ut Sancti Patres ajunt, Diſcipulus hic dilectionis decoratus fuit; citra metum aſſerere poſſumus illum fuiſſe amantiſſimum, amabiliſſimum, & amatiſſimum.

Amatiſſimus; plurima recepit bona, & altiſſimorum Salvatoris ſecretorum fuit particeps.

Amabiliſſimus; plus enim habet ſimilitudinis, & conformitatis cum divino Magiſtro ſuo.

Amantiſſimus, quia inſolubili amoris vinculo Domino ſuo adhæſit.

XVI. Nullus eſt in terris invidiæ magis obnoxius, atque obtrectationis jaculo expetitus, quam Principum familiaris. Quo magis nitet eorum fortuna, eo magis officit oculis mortalium. Nemo illos in ſublimi gradu poſitos intuetur niſi muſſitando, & cum dolore. Spiritus etiam qui maxime moderati ſunt, ægre ferunt illos ſupra ſe poſitos; & ſi minus tanta illis improbitas eſt, ut calumnias comminiſcantur, ad labem nomini eorum offundendam, ſatis æquitatis non eſt, ut aures ſibi obſtruant omnibus rumoribus, qui contra ipſorum exiſtimationem circumferuntur. Verum quoque eſt in tanto familiarium numero, quem apud Hiſtoricos licet intueri, pauciſſimos eſſe, qui cauſſas non præbuerint querimoniæ, & murmurationis, & non meriti fuerint partem odii, atque execrationis, qua omnes illos inſequebantur. Etenim 1. verum plerumque eſt, quamplures ex iis reipſa indigniſſimos eſſe Principum amicitia, quam poſſident, cum nihil habeant virtutis, quam adeo ſublimes loci requirunt. 2. Pauci ſunt, qui ſua non abutantur fortuna, intumeſcentes, ac ſuperbientes. 3. Magnitudinis eorum fundamentum, ut plurimum eſt aliorum excidium; atque ita volunt eſſe arbitri gratiarum, atque affectionum Principis, ut nemini liceat ad illius amorem, aut beneficia adſpirare.

Sed tantum abeſt quod S. Joannes indignum hoc hominum genus imitetur, atque in ſe excitet odium atque invidiam, quæ ſemper ſubſequuntur fulgorem fortunæ merito carentis, ut vobis oſtendam, 1. cum dignus fuerit favoris Jeſu, rationem, & æquitatem illius præfuiſſe electioni; 2. cum Domini ſui gratiis, ac largitatibus uſus non fuerit, niſi ad illius gloriam amplificandam, latiuſque protendendum imperium, non ſatis laudari poſſe illius gratum animum, & fidelitatem. 3. Cum favore illius fuerit uſus, dumtaxat ut de omnibus benemeretur, non poſſe citra injuſtitiam omnem honoris, ac obſervantiæ genus denegari.

Hæc igitur tria ſunt, quæ ſartam rectam tuentur magni Sancti hujus dignitatem. 1. Ad Jeſu Chriſti familiaritatem meritis ſibi aperuit viam. 2. Eadem uſus eſt, effecturus, ut Dominus ſuus glorioſius regnaret. 3. Tantum abeſt, quod ſolus illam poſſidere voluerit, ut mortales omnes in illius partem arceſſere fuerit conatus. Cum hæ veritates labefactari minime poſſint, efficient elogii ipſius argumentum, ac diviſionem.

XVII. Ne laboremus inquirentes argumentum ad Orationem in S. Joannis laudem exornandam, ipſe enim illud nobis per hæc verba proponit: *Diſcipulus quem diligebat Jeſus*; & qui aliud laudum illius ſubjectum eligeret, hic eum juxta ipſius deſiderium nequaquam laudaret. Et ſane eſſe dilectum Jeſu Diſcipulum, eſt omnibus gratiis, meritiſque abundare? Dicere Joannem fuiſſe J. familiarem, dicere eſt, neminem unquam fuiſſe, vel meritum eſſe, qui ita digne favorem illius obtineret. Dignitas hæc quam ſibi quiſque cupit apud Terræ hujus Principes, & quam in altero pati non poteſt, proculdubio ille fortunæ apex eſt quo privatus poſſit aſcendere. Nihil ſupra illum eſt, quam corona; & ſæpe etiam accidit ut qui Principis familiaris eſt, illius magis eſt Dominus quam ille, ad quem nativitatis jure pertinet. Verum non adeo facile eſt hunc fortunæ gradum attingere, multoque difficilius in eo permanere. Neque enim ſatis eſt Principi acceptum eſſe, & ab eodem beneficia recipere; non ſatis eſt, illi ſemper aſſidere, & cum eo omnibus horis colloqui. Hæc quidem favoris indicia ſunt, non autem eſſentia. Ut autem verus fiat aliquis Principis neceſſarius, tres requiruntur conditiones.

1. Debet certus eſſe, quod Principis ſui cor abſolute, ac ſine ulla exceptione poſſideat.

2. Debet eſſe familiaris, omniumque ſecretorum ejus particeps.

3. Debet eſſe theſaurorum ejus Dominus, eoſque ad arbitrium impertiri. Quæ conditiones ſi unquam conjunctæ inventæ ſunt, ut hic in terris hominem beatum efficerent; profecto dicere poſſumus inventas fuiſſe in S. Joannis perſona, quemadmodum in tribus ſermonis hujus partibus oſtendi poteſt.

## PARAGRAPHUS II.

*Fontes unde hauriri copia poteſt ad has Concionum Structuras exornandas, & Auctores de hoc Argumento diſſerentes.*

SAnctus Auguſtinus in S. Joannem, ubi dicit Diſcipulum hunc a Jeſu amatum fuiſſe, eique collatas omnes prærogativas, quas nemo neſcit, ut auctoritatem adderet veritatibus, quas ille erat annuntiaturus.

Idem, ibidem aſſerit Dilectum hunc Diſcipulum perfectam puritatem ab ipſa pueritia ſervaſſe.

Idem in idem Evangelium latius loquitur de gratia magno huic Apoſtolo conceſſa recumbenti ſupra pectus J. C.

Idem ibidem ad examen revocat, utrum Sanctus Joannes Paſſionis Dominicæ tempore fugam cum aliis arripuerit.

Idem ibidem fuſius verba facit de curis, quas S. Joannes S. Virgini impendit poſt Jeſu mortem.

Idem de Sancto hoc loquitur etiam in Pſalmum 144.

S. Hieronymus in Marcum c. 9. explicans nomen *Boanerges* plura habet de S. Joanne.

Idem Epiſtola prima loquens de S. Joannis ætate maximis eum laudibus cumulat.

Idem adverſus Jovinianum libro 2. cap. 14. æquat illum merito omnibus illis, qui ætate illum ſuperaverunt.

Idem in Iſaiam cap. 56. omnes S. Joannis prærogativas ad illius refert puritatem.

Idem contra Jovinianum lib. 1. in illud, quod J. C. Matrem Virginem Virgini Diſcipulo commendavit.

Idem Epiſtola 16. ad examen revocat, utrum Joannes in Domini paſſione aufugerit.

Idem in illa Salvatoris verba reſpondentis D. Petro, qui percontatus ab eo fuerat, quid de Joanne futurum eſſet.

Idem in S. Matthæum, ubi aſſerit, omnes Aſiæ Eccleſias a S. Joanne conditas fuiſſe.

Idem ibidem quærit utrum S. Joannes biberit calicem, quem illum bibiturum eſſe teſtatus fuerat Salvator; hoc eſt utrum mortem ſubierit.

Idem Epiſtola 103. ubi ait Joannes Apocalypſim myſteriis abundare.

S. Ambroſius, *fid.* lib. 5. cap. 2. loquitur de petitione duorum fratrum Jacobi & Joannis, qui per matrem primos recubitus in regno Filii Dei ſibi popoſcerunt.

Idem in S. Lucam loquitur de zelo, quo a Salvatore petiit, ut Cælitus ignem in Samaritanos dilabi imperaret.

Idem Pſalmo 36. ubi ait S. Joannis Martyrium effeciſſe celebrem Domitiani perſecutionem.

Sanctus Chryſoſtomus hom. 17. in S. Joannem, ubi ait fidelem hunc Filii Dei Diſcipulum antea fuiſſe Diſcipulum S. Joannis Baptiſtæ.

Idem in eadem habet hypotipoſim præclaræ indolis S. Joannis, dicens illum mitem fuiſſe, atque pacatum.

Idem in S. Matthæum ait, prædilectionem, qua Salvator S. Joannem adamavit, denotaſſe prædilectionem electorum.

Idem in Actis Apoſtolorum loquitur de mutuo conſenſu inter Sanctos Petrum & Joannem.

Euſebius lib. 3. c. 11. loquitur de S. Joannis itineribus per Aſiam in extrema etiam ipſius ſenectute.

Venerabilis Beda in homilia in Evangelium ejus diei oſtendit admirabile S. Joannis privilegium, eo quod a Salvatore præ ceteris majori in honore habitus fuerit; & mox verba facit de Scriptis illius, per quæ omnes refelli poſſunt hæretici.

Idem Sermonem habet in magni hujus Apoſtoli laudem; ſed ea affert, quæ communi aliorum Eccleſiæ Patrum ſententiæ adverſantur.

S. Chryſoſtomus tomo 6. in Sermone, quem in Sancti hujus Encomium elucubratus eſt, ubi omnes memorat honoris titulos, qui debentur illi, verba facit de ejus exſilio, celebrat & admiratur Evangelium ab ipſo compoſitum, virtutes ejus, facta &c.

Petrus Damiani duos habet Sermones in S. Joannem, quorum primus continet varia Symbola, quæ virtutes & prærogativas hujus Sancti exprimunt; alter vero loquitur de meritis ejus, & credit illum a mortuis ſuſcitatum fuiſſe, & corpore ſimul, atque anima in Cælum translatum.

Guillelmus Pariſienſis in primo Sermone de hujus Sancti laudibus; ubi verba facit de amicitia, qua Filius Dei illum dignabatur, & de veri amici qualitatibus; & in altero, ubi probat has omnes qualitates in Salvatore & in S. Joanne fuiſſe repertas.

Albertus Magnus in hæc verba, *Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus*, oſtendit, S. Joannem fuiſſe perfectum Jeſu Chriſti Diſcipulum.

S. Laurentius Juſtinianus Sermonem habet hujus Argumenti.

S. Thomas pariter, ubi inſiſtit in Aquilæ ſimilitudine, quæ S. Joannis eſt Symbolum.

S. Thomas Villanovanus, in hæc verba, *Converſus Petrus &c.* oſtendit quantæ felicitatis ſit diligi a Deo, & quæ bona amorem hunc comitentur. Aſcetici, aliique.

Thaulerus in hæc verba, *Diſcipulus, quem diligebat Jeſus*, ubi poſtquam oſtendit Deum amare aliquem magis quam alios, hortatur, ut quiſque fidelis ſit Salvatoris Diſcipulus, qualis fuit S. Joannes.

Non novi alios Auctores, qui peculiariter de S. Joanne Evangeliſta locuti ſunt, præter eos qui Sanctorum vitas conſcripſerunt, qui magno in numero ſunt; & eos qui Meditationes propoſuerunt in omnia Myſteria, ac præcipuas Sanctorum ſollemnitates, ut P. Suffren Tomo ſecundo Anni Chriſtiani. Pater Haineuve ſub finem primæ partis Meditationum de vita Jeſu Chriſti. P. Novet in vita Domini Noſtri in Sanctis ſuis. P. Croiſet in exercitiis Pietatis pro ſingulis Anni diebus.

Quemadmodum nullus fere concionator eſt, qui non edi- Concionatores Naperi.





derit

derit Sermonem aliquem hujus argumenti hi ſunt, quos typis editos vidi, & qui digni viſi ſunt, qui hic memorarentur.

*Concionatores Nuperi.*

Molinier in Panegyricis duos habet deinceps hujus argumenti Sermones, & licet ſtylus jam obſoleverit, plura tamen, eaque præclara in iis continentur.

In ſpecimine Sermonum, tres quoque deinceps inveniuntur; & in Adventu P. Catillon unus.

P. Biroat in primo tomo Panegyricarum orationum.

P. Senault Oraatorii Sacerdos in tomo Primo Panegyricorum.

P. Texier in primo tomo de Laudibus Sanctorum.

In Specimine Orationum Panegyricarum tres adſunt deinceps hujus argumenti.

P. Bourdaloue in tomo primo Sermonum pro Sanctorum feſtivitatibus.

Savvazin in fine tomi alterius Adventus.

P. Duneau duos habet Sermones de S. Joanne, alterum ſub finem Adventus, alterum de Sancto Joanne ante Portam Latinam, tomo primo Panegyricorum de Sanctis.

P. la Peſse tom. *6.* Sermonum duos habet deinceps hujus argumenti.

P. Odet d'Allier tomo primo Panegyricorum de Sanctis.

In collectione Sermonum in plures Sanctos.

In tomo primo Sermonum Chriſtianorum in omnia Ethicæ Criſtianæ argumenta tomo primo Panegyricorum.

*Qui collectanea ediderunt.*

Labatha titul. *Joannes Evangeliſta.*
Spaner titul. *Joannes &c.*
Mathias Faber *In Actuar.*
Interpretes in Evangelium S. Joannis.
Tolet, Salmeron, Silveira &c.

## PARAGRAPHUS III.

*Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.*

QUi *diligit carnis munditiam, habebit amicum Regem.* Prov. 22.

*Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua Sapientiæ potavit illum.* Eccli. 15.

*In medio Eccleſiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominu Spiritu Sapientiæ & intellectus.* Ibidem.

*Annuciate quæ ventura ſunt, & dicemus, quia dii eſtis vos.* Iſaiæ 41.

*Quid eſt homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Job c. 7.

*Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Tobiæ 12.

*Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit filius revelare.* Matth. 11.

*Vos autem dixi amicos: quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Joann. 15.

*Ex abundantia cordis os loquitur.* Matth. 12.

*Quod vidimus, & audivimus, hoc annunciamus vobis: ut vos ſocietatem habeatis nobiſcum.* 1. Joann. 1.

*Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Joann. 17.

*Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* 1. Jo. 1.

*Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.* Joann. 13.

*Cum recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei; Domine quis eſt?* Idem ibidem.

*Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus. Hunc cum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine hic autem quid? Dicit ei Jeſus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Idem c. 11.

*Exiit ſermo ille inter fratres, quia Diſcipulus ille non moritur: ſed ſic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ibidem.

*Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* Ibidem.

*Mulier ecce filius tuus; Fili, ecce Mater tua: & ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua.* Idem c. 19.

*Exiit ergo Petrus, & ille alius Diſcipulus, quem amabat Jeſus, & venit primus ad monumentum, & vidit, & credidit.* Idem Ibidem.

*Dixit Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro: Dominus eſt.* Idem c. 21.

*Ego Joannes frater veſter.* Apocal. 1.

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei: poſſumus. Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Matth. cap. 20.

*Ego Joannes vidi Sanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de Cælo a Deo.* Apocal. 22.

*Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Joann. 14.

*Exempla, figuræ, ſimilitudines ex Scripturis depromptæ ad hoc Argumentum pertinentes.*

*S. Joannes merito dicitur Tonitrui Filius, & quare?*

MErito S. Joannes Evangeliſta in Scripturis Tonitrui Filius appellatur, *Boanerges*, duo enim in Tonitruis occurrunt, lucis fulgor, & fragor, qui in aere efficitur, qui ſtuporem ciet, atque terrorem. Refulſit in Eccleſia S. Joannes luce doctrinæ ſuæ, ſimulque detonuit in eôs, qui fidei veritates oppugnabant. Fulmina jaculabatur in plurimos errores, tunc etiam antequam naſcerentur. Et ſane cum primum Evangelii ipſius caput conſideratur, nonne videmus omnia ſingula ejus verba eſſe totidem veluti fulgura; quæ totidem hæreſes conterunt; *In principio erat Verbum*, (*Joann.* 1.) ille ait, ergo nunquam eſſe incepit: *Et Deus erat Verbum*, igitur non eſt mera creatura, *Verbum erat in Deo*; igitur perſonæ diſtinctæ ſunt: *Et Verbum carr factum eſt*; ergo perſonaliter ſe cum humana natura conjuxit, aſſumpſitque non quidem apparens, phantaſticumque corpus, ſed carnem noſtræ ſimillimam. Vides, verbis ſingulis ſingula contineri myſteria, & errores impugnari, & S. Joann. probatur primum Verbi Divinitatem, mox illius humanitatem probare. Oſtendit J. C. vere Mariæ Filium eſſe ſecundum humanam carnem, & Filium eſſe Patris æterni ſecundum eſſentiam divinam. Videtur gloriæ Mariæ ſtudioſus, cujus adoptivus factus erat Filius, voluiſſe in anteceſſum illam propugnare adverſus eos, qui Divinam maternitatem illius erant oppugnaturi: ita ut ex ipſius Evangelio Eccleſia victricia deprompſerit arma, quibus ad teterrimas hæreſes profligandas uſa. Verum ſi de myſteriis, atque ſecretis, quæ J. C. S. Joanni revelavit ad Eccleſiam pertinentia, loquimur, quot miracula ſe ſe mentibus noſtris non offerunt? Quis enim altiſſimam comprehendere valeat ſcientiam, abdita myſteria, admirabileſque revelationes, quæ in ejus Apocalypſi continentur, cujus omnia verba Eccleſiam reſpiciunt?

*S. Joannes ſuper ſalvatoris pectus recumbens ſummo legis antiquæ Pontifici comparatur, cui uni licebat, ſemel quotannis ingredi in Sancta Sanctorum, quæ Salomonici Templi ſacerrima erat pars.*

Docet Scriptura, in Salomonis Templo fuiſſe Sanctuarium, Tabernaculum, & Sancta Sanctorum. Sacerdotes Sanctuarium ingrediebantur. Pontifex ſummus Tabernaculum, & aditus in Sancta Sanctorum huic uni tantum patebat, idque ſemel in anno. J. C. Templum eſt, & ipſe etiam in Evangelio hoc nomine ſe appellavit. Habet ergo & ipſe Sanctuarium, Tabernaculum, & Sancta Sanctorum. Plurimis juſtis conceſſum fuit in Sanctuarium ingredi, alii beatiores introducti ſunt in auguſti hujus Templi Tabernaculum; ſed S. Joannes uſque in Sancta Sanctorum quod eſt cor, & pectus J. C. penetravit. Concurrant turbæ, & Dei Filium in Deſertum uſque ſequantur ad illius verbum audiendum, Apoſtoli omnes illum ſubſequantur in montem ad oracula ejus percipienda; pedes ejus Maria Magdalene oſculetur, eoſque lacrimis ſuis eluat; inferat S. Thomas digitos uſque in lateris ejus vulnus, ad ſuam incredulitatem curandam; Tamen pectus illius, quod Sancta Sanctorum eſt, S. Joanni reſervabitur; ipſe unus in eo requieſcet; ut ſe totum transformet in Deum juxta S. Petri Chryſologi ſententiam dicentis, S. Joannem nequaquam Impetraturum fuiſſe privilegium ad hominum Salvatorem adeo prope accedendi, niſi in Deum mutandus, atque transformandus fuiſſet,

*Probabile eſt S. Joan. Evangeliſtam una cum S. Andrea fuiſſe S. Joannis Baptiſtæ diſcipulū antequam ad Apoſtolatum evocaretur; & quid inde poſſit inferri?*

Non deſunt ſatis validæ conjecturæ, ut credamus S. Joannem Evangeliſtam ſocium fuiſſe S. Andreæ, cum S. Joanne Baptiſta duobus ex Diſcipulis ſuis oſtendente Salvatorem, eiſque dicente, Ecce Agnus Dei: illi hunc ſecuti ſunt, & cum eo tota die permanſerunt. Sanctus noſter, qui hanc narrat hiſtoriam in primo Evangelii ſui Capite unum Sanctum Andream nominat, cui omnem hujus viſitationis honorem relinquit. Sed creditur humilitatis ergo ipſe nomen ſuum occuluiſſe, & reticuiſſe, quiſnam eſſet hic alter Diſcipulus S. Andreæ ſocius; quia ſemper in more illius poſitum fuit numquam ſe ipſum proferre, tunc etiam cum narrat ad ſe pertinentia. Quod ſi conjectura hæc locum habet, duo hinc in laudem ejus poſſunt inferri. Alterum; ipſum jam S. Joannis Baptiſtæ fuiſſe Diſcipulum antequam ad Apoſtolatum evocaretur. Utrique idem erat nomen; cumque S. Joannes Baptiſta Magnus eſſet Magiſter, nil aliud nobis menti poteſt occurrere, niſi quod Duos eoſque Magnos dederit Diſcipulos Salvatori Sanctos Andream, atque Joannem. Alterum vero quod in S. Joannis laudem inferendum eſt, hoc eſt ipſum ad Apoſtolatum cum S. Andrea evocatum fuiſſe, & hos duos eſſe primos omnium Diſcipulos vocationis ordine ſervato. Nihilominus vulgo S. Andreas omnium Apoſtolorum dicitur Antiquiſſimus, quia ſolus appellatur ex Diſcipulis S. Joannis Baptiſtæ, qui Dominum noſtrum convenerunt.

*De neceſſitudine quæ erat inter Petrum, & Joannem.*

Quæ ſanctior neceſſitudo præ ea, quam inter S. Petrum, & S. Joannem videmus? Æqualitas non ætatis, ſed virtutis illos invicem junxit, inquit S. Chryſoſtomus in Acta. Sincera hæc amicitia Deum habebat auctorem; in omnibus actionibus ſuis jungebantur, ut in medio eorum Dominus eſſet, docentes eos, qui infirmi ſunt ſimul conjungi debere, ut ſancta neceſſitudine ſeſe invicem roborent. Admirabilis S. Joannis humilitas, qui ubique cedit S. Petro, eumque ſemper loqui, agere, patrare miracula ſinit; & longe alius ab eo, qui ante Salvatoris mortem fuerat, cum ipſe, fraterque ſuus inter Apoſtolos primum ſibi accubitum poſtularent. Fere numquam ſeparatus eſt a præſtantiſſimis factis, inſignibuſque favoribus Principis Apoſtolorum. Cum hoc invenitur in monte Thabor, ibique J. C. in tota gloria ſua contemplatur; cum hoc hominem ſanat, qui ſemper membris ſuis captus fuerat; omnem gloriam facti Jeſu Chriſto refert acceptam; cum hoc Carceris ſupplicium ſuſtinet, & uterque affirmant utilius Deo, quam hominibus obſequi; & ad Judæorum minas confundendas, uterque Jeſum Chriſtum prædicare non ceſſant, iterumque ſimul carceris pœnam patiuntur. Si vapularunt,



runt, eo quod Jeſu Chriſti divinitatem aſſeruerunt, hic eſt gloriæ illorum cumulus; (*Act.* 5.) *Ibant gaudentes a conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* (*Act.* 5.) *Auctor recens.*

*S. Joannes Aquilæ cõparatur.*

S. Joannes aquilæ comparatur, quia præ aliis altius evolavit, uſque in Patris Æterni ſinum ubi vidit unigenitum ejus: *Unigenitus, qui eſt in ſinum Patris ipſe enarravit.* Doctrina ejus profundiſſima eſt, ſententiæ locupletiſſimæ, & cognitiones latiſſime effuſæ. J. C. illi omnia ſecreta, quæ ad divinitatem, humanitatem, & Eccleſiam ſuam pertinebant, communicavit. Reliqui Apoſtoli imbecilles tantum hauſerant ideas, atque cognitiones de Magnitudine Dei finibus exiguis circumſcriptas. Sed S. Joannes velut Aquila myſtica ſe ſe uſque ad divinitatis ſinum attollit, penetrat fulgidiſſimum Jubar, quo ſepta eſt; altiſſima quævis myſteria penetrat, ac defert in terras præſtantiſſimas cognitiones, ut nos de ſublimibus Religionis myſteriis erudiat: cum alios ſinat inter figuras, & ænigmata, nubes inter, ac tenebras Deum quæritare. Particeps fit ſecretorum abditiſſimorum eſſentiæ divinæ; per medias fidei umbras tranſilit; ex Dei ſinu puriſſima haurit lumina, nobiſque alta detegit myſteria, quæ oculus non vidit, auris non audivit, neque in cor hominis aſcenderunt. S. Joannes ſublimem de auguſtiſſima Trinitate Doctrinam nobis tradidit, & ædificavit quodammodo Eccleſiæ fidem his verbis: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo*, mutuum eſſentiæ ſuæ æternitati. Sed nondum ſatis eſt S. Joanni æternitatis ſecreta penetrare. Verum illi etiam quidquid maxime arcanum accidit in Incarnatione ſua revelavit. Hoc mirum fuit paradoxum, quod ſtuporem univerſæ injecit naturæ, Deus, & homo, utrumque ſimul. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum caro factum eſt.* (*Joann.* 2.) Ecce quomodo paucis ſtatuit Filii æqualitatem cum Patre; veritatem corporis J. C. contra Hæreticos, qui illam erant impugnaturi, naturæ divinæ cum humana natura in una eademque perſona conjunctionem.

*S. Joannes antiqui teſtamenti Prophetis comparatur.*

Sapientiſſimi homines, qui de his myſteriis locuti ſunt, fateri debuerunt, mentem ſuam nimis eſſe infirmam, neque ſatis aptam ad eorum altitudinem inveſtigandam. Aliquid dixit Jeremias Propheta, ſed ſtatim ſilet, Dominoque balbutiens dicit, ſe puerum eſſe, & neſcire loqui. Propheta Iſaias, nobis ad vivum dolores ejus deſcripſit; verum ubi ad ejus narrationem deſcendit, ait illam luminibus eſſe involutam, oculos ſuos perſtringentibus, ac finem facit dicens, generationem ejus quis enarrabit? Omne illius ſecretum diſcendum fuiſſe videbatur a S. Paulo in tertium uſque Cælum rapto; attamen non eo uſque proceſſit revelationum ejus magnitudo; ſaltem ſi quid cognovit, non licuit illi in terram reverſo id reliquis hominibus communicare; ita ut illi dicere ſatis ſit, ſe vidiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: illic eſſe talia, qualia oculus nunquam vidit, neque auris audivit, neque in hominis cor aſcenderunt.

*S. Joannes S. Paulo comparatus.*

Quod ſtatues diſcrimen inter privilegium S. Joannis ſuper Jeſu Chriſti pectus recumbentis, & Sanctum Paulum uſque ad tertium Cælum ſublatum? Nonne cor Jeſu Chriſti illud eſt, quod Cælum, gaudium, gloriamque Beatorum conſtituit? Ubi S. Paulus ineffabilia didicit arcana; ibi Apoſtolus hoc vidit, quod nec oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit; Ibi intellexit ſecreta, propter quæ exclamat: *O altitudo divitiarum Scientiæ, atque Sapientiæ Dei!* (*Rom.* 2.) Ita in J. C. corde S. Joannes divinam hanc didicit Theologiam, quæ adeo profunda ſecreta complectitur, ut homo neque illa capere, neque valeat explicare. In hoc luminis abyſſo Joannes didicit, quæ nemo vidit unquam & audivit ſecreta, quæ nemo ante ipſum audiverat. Denique in corde J. C. S. Joannes invenit, ut S. Paulus omnes Caritatis dimenſiones, latitudinem, altitudinem, profunditatem, extenſionem.

*S. Joannes S. Petro comparatus.*

Te nequaquam beatior eſt Princeps Apoſtolorum, o dilectionis diſcipule; Si enim caro, & ſanguis illi non revelarunt, J. C. eſſe Filium Dei vivi, numquid caro, & ſanguis tibi revelarunt Verbum eſſe in Deo Patre ſuo per æternam generationem? Patrem totum eſſe in Filio, & Filium totum in Patre? Æqualitatem in æternitate, æqualitatem in ſapientia, æqualitatem in potentia? quia Verbum taliter eſt in Patre, ut unum ſint in natura, licet ſit in perſonis diſtinctum. *Verbum erat apud Deum.* (*Joann.* 1.) Beatus igitur es: *quia caro, & ſanguis non revelavit tibi*: Sed Jeſus Chriſtus inſignes has veritates tibi manifeſtavit.

*S. Joannes in J. C. familia ex duodecim compoſita Apoſtolis, id, quod Benjamin in familia Jacob, hoc eſt maxime dilectus.*

Ad indigitandam eam dilectionem, qua Salvator S. Joannem complectebatur, pii nonnumquam viri contemplationibus dediti animadverterunt in familia J. C., quæ ex duodecim Apoſtolis erat compoſita, S. Joannem fuiſſe præ ceteris amatum non ſecus ac Benjamin inter duodecim filios Jacob: Hoc autem Sanctus Patriarcha palam oſtendit, cum ægre, ac gravate paſſus eſt, hunc a fratribus in Ægyptum adduci, ut illi ſatisfieret, qui ibi ſummam rerum habebat, & illum ad ſe adduci quæſiverat, licet nondum ſeſe illis cognoſcendum præbuiſſet. Profecto S. Joannes, cum adeo diligetur a Dei Filio, qui illum, ut ita dicam, a conſpectu ſuo dilabi nequaquam ſineret, ſimilis erat Benjamin inter fratres natu minimo; & Scriptura ad hoc videtur alludere, cum loquens de Tribu, quæ huic dilecto Jacob tradita fuit in hæreditatem, ait: *Benjamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.*

*Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.*

*Salvator repreſſit ambitionẽ S. Jacobi & Joannis ſibi primas in regno illius ſedes depoſcentium.*

POteſtis *bibere Calicem quem ego bibiturus ſum? Matth.* 20. Mater S. Joannis ad hominum Salvatorem accedens, eumque adorans, petiit, ut duobus Filiis ſuis primos in Regno ſuo recubitus daret; ac præciperet, ut alter quidem ad dexteram, alter ad ſiniſtam ſederet in regno ſuo. Hæc magna quidem petitio eſt. Verum quid fecit J. C.? Quia Matri faceret ſatis, animum appulit ad filios erudiendos, & ad errorem hunc auferendum. Apagete, inquit, illis: *Neſcitis quid petatis.* Putatis favorem meum hominum favori ſimilem eſſe, quæ in inanibus proſperitatibus immoratur, neque ulterius requirendum ad felicitatem in hoc mundo comparandam? at nihil hoc magis abhorret ab animo meo. Verum poteſtiſne, Salvator addidit, bibere calicem, quem bibam, & baptiſmo, quo baptizandus ſum baptizari? *Poteſtiſne bibere calicem, quem ego bibiturus ſum!* Calicem hunc amaritudinis plenum, qui mihi paratus eſt; calicem paſſionis meæ poteſtiſne meum haurire? Electos enim meos diligo, ſed ſolida fortique dilectione, eoſque diligens non ideo minus ad illos exercendos paratus ſum. Meus igitur calix, & baptiſmus meus, hoc eſt, meæ paſſiones, meæ crux, ea ſunt, a quibus favor meus pendet; videte utrum hæc ſubire poſſitis, & conditionem hanc adimplere: *Poteſtis?* Cumque illi ſe poſſe reſpondiſſent: *Poſſumus*; quamvis J. C. nihil ultra petendum fuiſſe videbatur, ac in ſpeciem huic reſponſioni adquieſcendum, tamen ad ea, quæ petebantur reſpondere noluit, nec aliquid polliceri. Ait ſolum illos calicis ſui futuros eſſe participes, eumque bibituros, futurumque ut & illi, ut ipſe, exagitarentur, ſacrificarentur, occiderentur. *Calicem qnidem meum bibetis*; Verbum ſatis idoneum ad compeſcendum aliorum quidem murmur, aliorum autem cupiditatem.

*Omnis S. Joann. gloria in his verbis continetur.*

*Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. Joann.* 21. Poteſt per tria hæc verba jam S. Joannis elogium expleri; & ſicuti ex D. Auguſtini ſententia, verba quæ Deus in mundi principio protulit, cum terræ imperavit, ut gramina floreſque germinaret, *Germinet terra*, eminenter complectebantur, quidquid deinceps natura protulit; omnes enim productiones nil fuerunt aliud, quam verbi illius explicationes; Ita dilecti diſcipuli nomen, quo S. Joannes hodie ſe nominat excellenter, omnem hujus Apoſtoli gloriam complectitur. Omnes Panegyricæ Orationes, quæ in honorem ipſius concinnari poſſent, non aliud eſſent, quam hujus tituli explanationes. Ipſe hunc dumtaxat titulum ſibi vindicat.

*Hoc dilecti nomen in cælo ſubſiſtit, æternumque ſubſiſtet.*

*Nomine æterno hereditabit illum Dominus Deus noſter. Eccl.* 5. Cogitate, ſi vobis lubet, Eccleſiam Dei ſpiritu afflatam pro S. Joanne hæc verba accepiſſe. Æternum hoc nomen, nomen eſt dilecti, quod viget non ſolum in titulo, ſed etiam in amabili munere quod per titulum ſignificatur. Ille non eſt amplius Theologus, ut hæreticos ſuperet, nulli in Cælo ſunt hæretici: non obit amplius Pontificis officium, quia illic nullum offerendum eſt ſacrificium; non Propheta eſt, quia magno in lumine cæleſtis gloriæ, palam myſteria omnia videntur; non martyr, quia nulla ibi perferuntur ſupplicia; non Apoſtolus ad populos immenſis laboribus prædicationum convertendos; labores enim ipſius completi ſunt. Dilecti vero munus, ac nomen ſervat adhuc: diligit, & diligitur. Quid ergo de nobis dicendum erit? Favor S. Joannis tener fuit, ſapiens, ac generoſus; an licet nobis ejeſdem fieri participes? Omnes Salvatoris ſubditi ſunt univerſim Principis adeo boni familiares. Attentus eſt, ut omnes beatos efficiat. Ipſe omnes amavit tenera dilectione, pro nobis enim carnem induit noſtram; Sapienti dilectione amavit, æternas enim veritates Chriſtianis omnibus revelavit; Generoſa amavit nos dilectione, quia pro omnibus mortuus eſt.

*Verum S. Joannis Martyrium ante Por & Latinam licet per inſigne miraculum vitam illi non ademerit, martyris lauream illi prumeruit.*

*Calicem quidem meum bibetis &c.* Sanguinis Martyrium S. Joanni minime defuit, non ſecus atque cordis Martyrium. Eccleſia traditioni innixa hoc docet, cum celebrat beatam diem, qua hic diſcipulus Romæ pro Dei ſui nomine pugnans ante Portam Latinam paſſus eſt. Quodnam tormentum, ſi fides habenda eſt Tertulliano, ejuſque narrationis, corpus vivens paullatim in fervens oleum immerſum? Hæc ſola imago nonne ſtatim horrorem ciet? Fateor quidem S. Joannem non vulgari gratia munitum virtutem habuiſſe, ut huic ſupplicio reſiſteret, ac Deum manifeſtiſſimo miraculo eum præſervaſſe; ſed ex Cardinalis Petri Damiani ſententia hoc fuit ſeveritatis miraculum; miraculum quod Deus operatus eſt, ut adduceret S. Joannem in ſtatum acrius, atque diutius perferendi: Miraculum, ut ille longioribus hauſtibus oblatum ſibi hauriret calicem; Miraculum morte ipſa terribilius: talia enim ſunt, o Fideles, ita loqui ſi fas eſt, miracula dilectionis J. C.. Miracula, quæ S. Petrus non intelligebat, cum J. C. dicebat illi, de S. Joanne loquens; *Sic eum volo manere donec veniam: quid ad te?* (*Joann.* 21.) Inde S. Petrus argumentatus eſt S. Joannem ſingulari privilegio non moriturum; ſed idem S. Joannes addit: Salvatorem hoc nequaquam dixiſſe: etenim indigitaverat ſolum, Joannem nequaquam moriturum, ut alios, brevi, ſimplicique martyrio; ſed diu illis futurum ſuperſtitem, ut tertium martyrii genus pateretur longe prolixius, quam alii paſſi fuerint Diſcipuli; ad hoc enim Deus illum reſervare decreverat. Quodnam eſt tertium iſtud Martyrium? Eſt moleſtum, & non ferendum exſilium



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
"ALFONSO REYES"
48181

exſilium, ubi tot annos S. Joannes permanſit; diuturnum illud exſilium, ubi tot illi ſubeundæ fuerunt perſecutiones, tot calamitates, & ærumnæ ſuſtinendæ, tot cruces, tot pœnæ laboreſque ex temporis parte, ex parte vero inimicorum Eccleſiæ tot injuriæ & contumeliæ, cum in inſula deſerta procul ab Eccleſia ſua, procul a dilectiſſimis filiis, ex manibus ſuorum Diſcipulorum avulſus, omni humana ope deſtitutus, ſine ſubſidio, extrema ſenectute confectus ad mortis uſque extremum momentum immorari deberet.

Inde omnes aliorum Sanctorum qualitates in uno S. Joanne conjunxit.

*Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus. Pſ.* 110. Poſuit Deus in S. Joanne ſuorum mirabilium compendium. Hic eſt ordo Providentiæ Dei, poſtquam plurima in Cælo creavit entia, eorumque ſingulis peculiares largitus eſt perfectiones, eas omnes colligere, atque in aliquo eorum entium congregare, tamquam omnium mirabilium ſuorum compendium, ut inde exiſtat præclarum ſuæ potentiæ miraculum. Ita poſtquam univerſa creavit, Angelos, cælum, terram, & elementa, creavit hominem in terreſtri Paradiſo; in quo varios omnium illorum entium gradus collegit. Ita in natura poſtquam entibus omnibus actiones tribuit, quæ eorum erant propriæ, in Sole entium ceterorum actiones complexus eſt, quia illum poſuit tamquam univerſalem cauſſam, quę ſecum in omnibus naturę productionibus concurreret. Quod autem in naturę ordine, id etiam in ordine gratię perfecit Deus. Si enim mirabilia operatus eſt, & fecit magna in aliis Religionis noſtrę myſteriis, nec non in gratię ſuæ diſpoſitione; omnia in maximo dilectionis ſuæ opere, Euchariſtia videlicet, complexus eſt: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum &c.* Simul autem ſi plurimos peperit Sanctos, tamquam uberrima gratiæ ſuæ miracula, mihi videtur oblectatus fuiſſe præclaras prærogativas, quas ſinguli poſſident, omnes in uno S. Joanne complecti. Haud operoſum eſt perfectiones omnes ſingulorum electorum, quæ etiam meritum eorumdem extiterunt, univerſe in perſona dilecti hujus diſcipuli contineri. Et ſane in eo nonne admiramur zelum Apoſtolorum, conſtantiam Martyrum, ſcientiam Doctorum, fidem Confeſſorum? Virginum etiam puritas nonne illius etiam pars fuit? numquid dignus fuiſſet habitus, qui Virginis Filius prædicaretur ore ipſius Magiſtri, niſi Virgo fuiſſet? Hic ergo dilectus J. C. diſcipulus auguſtiſſimum compendium eſt mirabilium omnium totius Sanctitatis.

*Hic eſt diſcipulus, qui recubuit ſupra pectus Jeſu. Joann.* 21. Fortunate diſcipule, meminiſtine temporis illius, quo a J. C., matre tua procurante, petebas, ut in regno ſuo ad dexteram, vel ſiniſtram ejus recumberes? Per te mihi liceat quod ſentio dicere. Ne tu quidem, quid peteres tunc ignorabas, quandoquidem tibi longe præſtantius reſervabatur. Heu! non ſolum ad dexteram J. C. ſedes, ſed ſuper pectus ejus recumbis. Non ſolum primum obtines locum in regno illius, ſed poſſides, ut ita dicam, Sanctiſſimam illius parentem, quam pluris facit regno ſuo; tu veluti Dominus, ac poſſeſſor, abſit invidia verbo, cordis Jeſu, quod infinite pluris habendum eſt, quam infinitus Regnorum numerus, quid ultra vales optare? Nonne expleta ſunt tua deſideria? amoris infiniti conſummatio portio tua eſt, ac vere dicere potes vota tua ad ſatietatem expleta fuiſſe. Numquid locupletiorem fortunam optare potuiſſes, optans ad dexteram, aut lævam in Salvatoris regno diſcumbere? Vota tua, dicere fas ſit, exiguis ſane finibus tunc arctabantur.

Dilecti qualitas quam Salvator illi tradidit tamquam additamentum hereditatis ſuper alios illi æternũ manſit.

*Do tibi unam partem extra fratres meos. Geneſ.* 10. Nonne liquido patet J. C. inter diſcipulos ſuos Joannem inſigni privilegio decoraſſe, non ſecus ac Jacob Joſephum inter fratres ejus diſtinxit? Uterque in hæreditate patrum ſuorum partem aſſecutus eſt reliquis non communem. Et profecto S. Joannes partitur cum reliquis Apoſtolis zelum in Apoſtolico munere, puritatem cum virginibus, donum futura prævidendi cum Prophetis, Pontificis officium cum aliis Sacerdotibus, ſed cum nullo partitur titulum dilecti diſcipuli. Hæc eſt portio hæreditatis quam dat illi Deus cum aliis non dividendam, *Do tibi unam partem extra fratres ſuos.* Hæc particularis hereditas eſt etiam æterna, qualitates reliquæ tranſeunt, quia Apoſtolicum miniſterium non ſemper locum habet. Prophetæ omnia in ipſo fonte videntes, qui Deus eſt, ceſſant prophetare. S. Joannes ergo ceſſat in omnibus exercitiis, quæ has eminentes qualitates decent; ſed nunquam ceſſat eſſe dilectum Diſcipulum: quia in jugi amoris exercitatione verſatur: *Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus.* Hæc illa eſt hæreditas, quam illi tribuit Deus ſupra fratres illius. *Sermo Manuſcriptus.*

S. Joannis cor nunquã diviſũ fuit inter amorem Dei, & creatarum rerum.

*Nolite diligere Mundum.* 1. *Joann.* 4. S. Joannis cor nunquam creatorem inter, & creata diviſum fuit, quia mundi amicitia inimica eſt amori Dei; *amicitia hujus Mundi inimica eſt Deo.* (*Jacob.* 3.) Mundus enim non aliud eſt, quam corruptionis colluvies. Totus Mundus in maligno poſitus eſt: *Uſquequo gravi corde* (*Pſ.* 4.) eritis, o filii hominum? Inania phantaſmata, quæ amplectimini, poſſuntne replere cordis immenſitatem, quod uno Deo poteſt repleri? Creata conſectantes non extinguitis, ſed accenditis ſitim, quæ veſtrum ſupplicium eſt: cedite verbis, cedite S. Joannis exemplo, dicentis; *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Ex ſpecimine Orationum Panegyricarum.*

S. Joannes Salvatorem tum in adverſis cum in gloria ſecutus eſt.

*Illi ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. Matth.* 4. 22. Conſiderate dilectum diſcipulum non tantum inter ſuavitates, & in gloria, verum etiam inter dolores, ac paſſiones Salvatorem ſecutum fuiſſe. Non contentus eumdem ad nuptias Cana fuiſſe comitatum, ut voluptatis, & convivalis lætitiæ particeps eſſet, fideliter in Calvarium etiam ſubſecutus; & neque inter acerrimos dolores illius ab eo receſſit. Nonne hoc ſatis eſt fideles ad pudorem in vobis ciendum, cum voluptuoſi, ſenſibuſque dediti ad fictas voluptates, quas vobis mundus offert, accurritis, & nunquam nel minimum dolorem pro J. C. pati vultis? Agiturne de laudibus, ludis, ſpectaculis, conviviis, voluptatibus? parati ſemper ſumus ut ſequamur vocantes, nobiſque dicentes, quod Jeſus Chriſtus S. Joanni dixit; *Sequere me*, ſed ubi minimum aliquid perferendum eſt; diſcedimus, murmuramur, faſtidimus, & ſi quid moleſti contigit nobis, nonniſi ægre, atque gravate ſuſtinemus. Nullus jam invenitur, immo neque ex eorum numero, qui devotos audire geſtiunt, qui cum quidquam repente accidit adverſi, ſtatim non interpellent aſſuetum ſuæ pietatis curriculum. Ab omni ærumna ſunt immunes, commodæ ſuaviſque vitæ delicias guſtant? tunc quidem ſuam tuentur pietatem; ſed ex quo ſentiunt ariditatem, vel aliquid minus jucundum, heu! omnia interierunt. Hinc ſtatim oritur virtutis tædium, & pietas ſenſim, ac ſine ſenſu evaneſcit. *Auctor Recens.*

## PARAGRAPHUS IV.

### *Loci, ac Sententiæ Sanctorum Patrum hujus Argumenti.*

*FLumina Evangelii de ipſo dominico pectore velut fonte hauſit.* S. Auguſtinus Sermone de S. Joanne.

*Amicus Dei ſi eſſe voluero, ecce nunc fio.* Idem in Confeſs.

*Matrem Virginem, Chriſtus in Cruce Virgini commendavit.* S. Hieronymus.

*Coactus eſt Joannes de divinitate Salvatoris altius ſcribere & ad ipſum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci, quam felici temeritate perrumpere.* Idem in Prologo in Matth.

*Joannes noſter quaſi aquila ad ſuperna volans, ad ipſum Patrem pervenit, dicens: In Principio erat Verbum.* Idem lib. 2. contra Jovinianum.

*Amicitia eſt æqualitatis magiſtra, ut ſuperior inferiori ſe exhibeat æquatum.* S. Ambroſ. lib. 3. de offic. 16.

*Nemo, audeo dicere, tanta ſubſtituitur ſapientia, majeſtatem dividit, & nobis proprio ſermone reſervavit.* Idem in Prooemio in Evang. Lucæ.

*Diligebat eum Jeſus, quoniam ſpeciali prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Gregorius Nyſſenus. Idem homil. 2.

*Velut ſpongiam appoſuit in fonte vitæ.* Idem.

*Paulus audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui: Joannes vero audivit, quod licuit loqui, & poteſt hominibus prædicari.* Origenes.

*Multoties martyr eſt Joannes.* S. Chryſoſtomus Hom. 33. ad Popul.

*In pectore Chriſti talem ſcientiam hauſit, qualem nullus unquam mortalium ſortitus eſt.* Idem.

*Hauſit Joannes de ſinu Unigeniti, quod de paterno hauſerat ille.* Bernard. ſerm. 8. in Cantic.

*In Joanne intelligimus omnes animas electorum.* Idem, ſerm. 55.

*Nemo videtur jure major meritis, & qui ſpeciali quadam gloria frater eſt Salvatoris.* Petrus Damiani.

*Sicut inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta, ſic inter choros Angelorum non ſurrexit major Joanne Evangeliſta.* Idem.

*Petrus diligebat ferventius, & ideo diligebatur fortius; Joannes amabat dulcius; & ideo diligebatur familiarius.* S. Bernard. Epiſt. 25.

*Amat ardenter, qui ita proprio inebriatur amore, ut majeſtatem non cogitet. O quanta amoris vis! quanta in ſpiritu libertatis fiducia!* Idem Serm. 7. in Cantic.

*Melior eſt, qui plus diligit Chriſtum, felicior quem plus diligit Chriſtus.* S. Auguſtinus tract. ultimo in Joannem.

*Ipſe eſt Joannes ſublimium prædicator: & lucis internæ, atque externæ fixis oculis contemplator.* Idem.

*Teſtabatur Jeſus de Cruce, & teſtamentum ejus ſignabat Joannes, dignus tanto teſtatore teſtis.* S. Ambroſius in c. 2. Lucæ.

*Joanni defuit martyrium, ſed Joannes non defuit martyrio; ideoque neque Joanni defuit præmium martyris.* S. Hieronymus.

## PARAGRAPHUS V.

### *Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit ad hoc Argumentum.*

Qualitas diſcipuli dilecti Jeſu S. Joannem ab aliis diſcipulis, atque Apoſtolis ſecernit.

ESſe diſcipulum, quem amabat Jeſus character eſt, quo S. Joannes inſignitur, & qui eidem inter omnes Sanctos novæ legis gradum tribuit eminentiorem. S. Joannes, ut alii, ad Apoſtolatum vocatus fuit: non ſecus ac S. Jacobus, Filius Tonitrui vocabatur, Ezechiel eum nobis velut Aquilam inter Evangeliſtas repræſentat. Ejus Apocalypſis primus eſt, atque illuminatiſſimus liber Prophetarum Novi Teſtamenti; ſæviſſimam pertulit pro J. C. nomine perſecutionem, in cultu, quem illi adhibemus, præclarum inter Virgines obtinet locum; Eccleſiæ Aſiaticæ illum Patriarcham ſuum, & conditorem habuerunt;

181841

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA "ALFONSO REYES"



runt; ſed hæc omnia non eum nobis aſtruunt de illius perſona conceptum, quem hæc exprimunt Verba: *Diſcipulus quem diligebat Jeſus.*

Duplex eſt amoris genus in Deo erga Creaturam, alter, qui præcedit meritum, alter qui ſequitur illud; Dei filius utroque S. Joannem dilexit.

Præſtantiſſima laus, quæ homini valeat impendi, hæc eſt eſſe dilectum Jeſu. Amor ejus eſt menſura meritorum noſtrorum, ipſique tales in nobis ſumus, quales in corde illius. Duplex eſt amoris genus in Deo, alter quidem antecedens, agens, & efficax, qui non præſupponit objectorum meritum, ſed illud facit, & amando illa, eadem efficit amabilia; alter vero, quem appellare poſſumus conſequentem, amorem approbationis, quo Deus amat objecta, poſtquam illa reddidit amabilia. Amat in nobis, S. Auguſtinus ait, beneficia, quæ contulit nobis, & gratias, quibus nos dignatus eſt. Si dicimus hominem priori modo diligi, nonne inde elicere poſſumus illationes gloriæ hujus perutiles, ac dicere: quandoquidem vehementer illum diligit Deus, plurimis ab hoc bonis iri cumulatum? Atque ſi adjicimus, altera hac amoris reflexione adamari, nonne poſſumus ex magnitudine approbationis elicere magnitudinem meritorum in objecto, ac dicere, hoc eſſe dilectum Deo, quandoquidem tantopere diligitur? Hoc pacto Joannes hodierna die titulum dilecti Diſcipuli aſſumit, in quo eminenter omnis Sancti hujus Apoſtoli gloria continetur; & omnia elogia, quæ in illius honorem concinnari poſſent, profecto non aliud eſſent, quam ſimplices tituli hujus explicationes.

J.C. iiſdem affectionibus, quibus homines, obnoxius fuit; cum hoc tamen diſcrimine, quod rationem minime præveniebant: Igitur amare potuit S. Joannem amore naturali.

Pulcra quidem, & curioſa quæſtio eſt, utrum J. C. ſuas animi affectiones habuerit. Extra omnem dubitationis aleam ſitum eſt, illum hominum naturam aſſumentem accepiſſe etiam appetitus ſenſitivi motus, quos in nobiſmetipſis experimur; fuiſſe obnoxium lætitiæ, timori, amori, iracundiæ; cum hoc tamen diſcrimine, quod motus iſti, qui in nobis rationem præveniunt, eamque perturbant; qui libertatem oppugnant, atque corrumpunt, in Salvatore ſemper rationi, ac libertati fuerunt ſubordinati. Nunquam niſi ad ejus nutum inſurrexerunt, ea ad magnum gloriæ Æterni Patris conſilium adhibita fuerunt. Verum ſi variis in occaſionibus ſenſibiles cordis ſui motus teſtatus eſt, veluti iracundiam in Templo, mœrorem in horto, elegit S. Joannem, objectum amoris etiam ſenſibilis, & naturalis. Verum quin hujus amoris cauſſas inquiramus, dicamus, ipſum illi adeo præclara amoris cordis ſui dediſſe argumenta, ut Apoſtoli hujus neceſſitudinis teſtes, cum nondum eſſent perfecti, inviderent.

Error eſt credere nullam inveniri poſſe amicitiam inter Principes, & ſubditos, Deum inter, & homines.

Fuit hæc omnium antiquitatis Sapientum ſententia, nullam veram eſſe poſſe amicitiam inter Reges & ſubditos, & minus adhuc Deum inter & homines, etenim ajebant illi, eorum conditionis vel naturæ nimia eſt diſtantia, ut ibi ea inveniatur æqualitas, quæ perfectarum amicitiarum vinculum eſt. Verum hic error evanuit, poſtquam inde quidem viſi ſunt Principum familiares, hinc autem Principes, ac Monarchæ, qui de pulvere ad ſolium uſque ſuum attollunt, ut illos potentiæ ſuæ participes faciant; ita ut quantumvis dignitatis ſuæ nimium amantes exhibeantur, illos quotidie videamus faſtum, ac majeſtatem abjicere, quæ cum amicitia ſimul eſſe non poſſunt, ut cum illis familiariter agant, quos natalium diſcrimen ad eorum pedes obrepere cogeret: ſeu quod propriæ magnitudinis pondus efficiat, ut Reges ſolatium aliquod inquirant, & negotiorum molem cum aliis partiri velint, ſeu quod fatigati ea ſeritate, qua ſibimet crucem figunt, gravitatem præſeferentes, illam ſeponere nonnunquam oblectentur; ſeu tandem quod vita nimis moleſta videatur, cum careant aliquo, cui ſuum cor aperiant, & ſecretiſſimas ſuas cogitationes communicent. Quoquo modo ſe habeat res, conſtat amicitiam non minimam eſſe inter vitæ hujus ſuavitates, eamque Regibus interdicere, quemadmodum aſſerebant Philoſophi, idem eſt ac illis auferre ſuaviſſimum voluntatis uſum, eiſque jucundiſſimum libertatis arbitrium auferre.

Deus omnibus ſæculis aliquos elegit, quos ſibi amicos faceret & J. C. elegit S. Joannem ſibi ex omnibus Apoſtolis dilectum.

Mirum eſt, Deum ipſum in ſuprema hac poteſtate, qui a creatis rebus minime pendet, atque in Majeſtate infinita, quæ ſupra nos illum attollit; mirum, inquam, eſt, Deum non ſolum dignari omnes homines loco amicorum habere per gratiam, quæ illos uſque ad naturæ ſuæ participationem evehit! verum etiam his potius quam aliis benignos obtutus impendere eo uſque ut omnibus ſæculis aliquos elegerit, qui ſui eſſent amici, ac familiares. Cui ergo mirum videbitur, Mundi Salvatorem obnoxium fuiſſe ſecretæ huic affectioni, quæ facit ut aliquem majori caritate præ alio complectamur: Divinumque Verbum inceſſanter in Æterni Patris ſinu amorem reſpirans egredi ex illa inacceſſibili flammarum fornace, ut illas in S. Joannem inexplicabilibus affectionibus effundat? Conſideremus igitur, ſi vobis lubet, quænam magnitudinis, & felicitatis origo fuerit, ita Dei filium dilexiſſe.

Cum Dei Filius dignatus fuerit S. Joannem ſingulari amicitia, credendum eſt ab eodem judicatum fuiſſe hac gratia dignum.

Quandoquidem Filius Dei, qui incarnata Sapientia eſt, oculos in felicem Diſcipulum iſtum conjecit, ut ſpectatiſſimum illi in amicitiam ſua locum præberet, credendum eſt, neminem viſum illi fuiſſe digniorem, qui locum hunc obtineret; quem licet ille nequaquam fuiſſet promeritus, quemadmodum re ipſa favor hic meræ creaturæ meritum excedebat; tamen amorem Dei conſtituentis dignitatem objecti ſui, cum cetera illum præſupponant, eum talem futurum fuiſſe, faciendo illum originem, ac principium magnitudinis ipſius. Hæu! Hoc ipſum nequaquam ceteris hominibus accidit, quoniam nihil vulgatius eſt, nihilque periculoſius prava electione amici, cui tota tribuitur familiaritas; & audeo dicere in nulla re prudentiam majoris eſſe utilitatis, quam in hac occaſione; nam quantum facile eſt in eadem falli, tantum mala, quæ ex prava amicitia proficiſcuntur, funeſta ſunt, atque inevitabilia. Opus igitur eſt prudentia, puriſſimiſque mentis luminibus ad electionem hanc efficiendam; quod ſanctam, beatamque fecit amicitiam, qua Salvator dignari voluit dilectum Diſcipulum ſuum S. Joannem.

Cum Deus aliquẽ eligit ad munus vel dignitatem, per hanc ipſam electionem eidem impertit.

Deus unus eſt, qui eligere poſſit, & familiaritate ſua donare, quin de eligendi meritis dijudicare teneatur; & quod notabilius eſt, Deus unus eſt, qui ſibi amicos adſciſcens ſine ullo meritorum examine, minime falli poſſit in electione facienda. Cur? Theologi egregiam afferunt cauſſam; quia nemo eſt præter Deum, inquiunt illi, cujus efficax ſit electio, ut operetur quidquid ſibi velle placet; videlicet, quia Deus unus eſt, qui amicum eligens, conferat electo virtutem hujus electionis, & meritum, quod requiritur, ut eligatur. Non ita Regibus terrenis accidit. Si Princeps gratia, ac neceſſitudine ſua ſubditum dignatur, non tamen illi confert, quod habere deberet, ut hic digne eligeretur. Poteſt quidem illum locupletiorem facere, majorem, potentiorem; pluribus illum cumulare honoribus poteſt, perfectiorem autem efficere non poteſt, quodcumque conetur, per hoc fortunæ, decoriſque incrementum, non aufert ne leviſſimam quidem noxam, neque vel unicum virtutis gradum communicat. Unus ergo, iterum dicam, unus eſt Dei favor, qui ſecum afferat meritum. Quemadmodum uni Deo poteſtas eſt perficiendi homines ſua dilectione, & cum illos familiarium ſuorum numerum admittat (quæ præclara eſt S. Hieronymi animadverſio) eos non vocat, quia digni ſunt, ſed vocando illos efficit dignos: *Non idoneos vocat, ſed vocando facit idoneos.* Hæc una ratio ſatis eſſe deberet ad probandam electionem, qua Mundi Salvator S. Joannem ſibi dilectum adlegit. Hic homo Deus ita voluit; ſatis eſt: quoniam ita volens effecit Diſcipulum ſuum talem, qualis eſſe debebat, ut familiaris evaderet.

Qui magis a Deo amãtur ſemper ſunt amabiliores, perfectioreſque.

Quam plurimum diſcriminis intercedit inter Dei amorem, & hominum! Homines plerumque ex mera libidine diligunt; amor illorum fere cæcus eſt, injuſtus, & exlex, & quæ odii objectum eſſe deberent, ſunt dilectionis. Longe aliter accidit amori Dei; quemadmodum ſemper illuminatiſſimus eſt, nunquam niſi digniſſimis amore ſuo adhæret objectis. Illi quos homines maxime diligunt non ſemper ii ſunt, qui præ aliis amabiles ſunt; ſed qui a Deo magis amantur, ſemper ſunt perfectiores. Hominibus ſatis luminum non eſt, ut penetrent mentem atque ſcrutentur eorum, quos diligunt, cor; ita ſæpe errant, & falſum pro vero amicum aſſumunt. Sed Deus penitiores animarum inſpicit latebras, & cum ibi virtutes non detegit, nec invenit perfectiones, quæ ſibi placere valeant, eas ibi format. O quam utile eſt his conditionibus eſſe J. C. amicum! Ita dicere quod S. Joannes ille erat Diſcipulus, quem diligebat Jeſus, idem eſt ac verbo effuſiſſimum illius elogium proferre; huic enim auguſtiſſimæ prærogativæ, quid addi valeat, neſcio.

Quodcumque ſit inter amicitiam & caritatem diſcrimen, conſocianda ſunt, ut inde exiſtat Chriſtiana amicitia.

Quamvis amicitia & caritas varia habeant munera ac jura, coaleſcere tamen debent ſimul, ut ex morali amicitia, ſanctam, atque Chriſtianam efficiant, quæ debet uti eadem familiaritate, qua ultrocitroque utuntur amici, ut ſe viciſſim ad virtutum, ac omnia bonorum genera impellant. Habet enim pro fine non ſolum vitæ hujus felicitatem, ut mutuæ infidelium amicitiæ, ſed & alterius beatitudinem, cum mutuis ſe ſe juvant auxiliis ad adquirenda ea bona, quæ nunquam ſunt finem habitura.

Prærogativæ quæ S. Joannem omnibus amabilem effecerunt.

Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores accuratius ad examen vocarunt quidnam Dei Filium adegerit, ut S. Joannem ſibi dilectum eligeret, eique tantam benevolentiam teſtaretur. S. Hieronymus, ejus puritate, S. Chryſoſtomus, ejus ſuavitate id factum aſſerunt. S. Auguſtinus ſentit, Diſcipuli amorem erga Magiſtrum, Magiſtro inſpiraſſe eam dilectionem, qua hic Diſcipulum proſecutus eſt. S. Thomas, & S. Bonaventura crediderunt, ideo S. Joannem a Salvatore dilectum fuiſſe propter ſublimem intelligendi vim, ac ſapientiæ plenitudinem, qua ille eminebat; & alii affirmarunt, Salvatorem illectum fuiſſe altiſſima S. Joannis humilitate; quæ etiam Dionyſii Chartuſiani ſententia eſt. Nonnulli tandem Interpretes Filii Dei amorem acceptum referunt dilecti fidelitati. Illud certum eſt nullam ex iis prærogativis, quæ exiſtimationem conciliare poſſunt (loquor autem ſecundum noſtrum loquendi modum) S. Joanni defuiſſe. Ejus erat characteris, ut ad primum intuitum ſermonemque amorem ſibi omnium compararet. Lege epiſtolas illius, ibique neſcio quid ſuave, tenerumque reperies, quod animum rapit. Senſuum ejus nobilitas, rectitudo, integritas ſtatim ſe ſe produnt, & illiciunt. Neque ab ejus ſcribendi ratione illius abhorrebat conſuetudo. In Sancto hoc amabilis erat oris ſpecies, ita ut neque negligi poſſet neque contemni. Ita ſaltem Patres loquuntur. In actis, ac moribus ejus probitas, ac ſinceritas enitebat, quæ omnibus voluntatem de ipſis benemerendi pollicebatur. Satis erat illum audire & videre, ut liqueret, ipſum non eſſe ex eorum amicorum numero, quorum officia, ut ita dicam, in oculis tantum morantur, & lingua, quin ad cor, & manus ſe extendant; ipſum non in ſpecie tantum, atque urbanitatis illecebris ſubſiſtere, etiam ſi pro amico ſanguis eſſet effundendus. Dicere ſatis eſt, J. C. electis ſuis ſemper eas contuliſſe virtutes, quæ ejus merentur amorem. Si ergo S. Joannes magis, quam alios Apoſtolos dilexit, nonne opus erat, ut ille præ aliis Apoſtolis eminentes haberet virtutes; quæ eſſent veluti

fun-